



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 6. Sine Dei dilectione nihil fit quod ad veram pietatem pertineat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

*Lib. 4. ad Bonif. c. 5.* *in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam, ut scilicet à Domino Deo adiutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ faciendæ sunt, noverimus; non inspirationem dilectionis ut cognita sancto amore faciamus, quæ propriè gratia*

*Lib. de Spir. & litt. c. 5.* *est. Propter quod alibi dicit: Bene vivere donum esse divinum; non tantum quia homini Deus dedit liberum arbitrium, sine quo nec benè nec malè vivitur: nec tantum quia præceptum dedit, quo doceat quemadmodum sit vivendum; sed quia per Spiritum Sanctum diffundit charitatem in cordibus eorum, quos præscivit ut prædestinaret, prædestinavit ut vocaret, vocavit ut justificaret, justificavit ut glorificaret. Hinc egregium librum de Concordia gratiæ & liberi arbitrii scripsit S. Anselmus, quo ostendat sine Dei gratia nihil boni nos posse; quia ex nobis, seu relictis in naturæ viribus, amissa justitiæ dilectio nequit recuperari.*

## §. VI.

*Sine Dei dilectione nihil fit quod ad veram pietatem pertineat.*

*S*ine hac dilectione nihil quod ad veram pietatem pertinet à nobis fieri, sic Augustino fuit indubitatum, ut neminem hac de re velit ambigere: *Gratiæ*

*L. de grat. Christ. c. 26*

*tiam*



tiam Dei, inquit, quâ charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, sic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam fieri posse non dubitet. Et hinc tamquam de re omninò indubitata loquitur S. Prosper cum ait:

Cont. Collat.  
cap. 22.

Quasi ista scientia vel ex natura opibus residua, vel ex legalis doctrina eruditione quaesita, possit sui perceptione prestare, ut quod faciendum noverimus, etiam facere diligamus: aut ullus sit bonæ voluntatis motus, nisi quem creavit diffuse per Spiritum Sanctum charitatis afflatus. Generatim tamen hîc accipiendum est nomen, charitatis, pro omni vero ergà Deum affectu, quo gratis & propter se diligitur. Aliàs enim, uti habet S. Tho-

1. 2. q. 65.  
a. 5.

mas: Charitas non solum significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quandam ad ipsum, quæ quidem super amorem addit mutuam redemptionem cum quadam communicatione mutua. Sic enim poni solet tertia virtus Theologica ipsâ fide & spe ordine generationis posterior, cum tamen nec ipsæ sine aliquo Dei propter se amore haberi possint; Fides enim, uti habet idem Thomas, quæ est donum gratiæ inclinât hominem ad credendum secundum aliquem affectum boni etiamsi sit informis. Hic affectus naturalis non est,

2. 2. q. 5. a.  
2. ad 2.

Sic enim poni solet tertia virtus Theologica ipsâ fide & spe ordine generationis posterior, cum tamen nec ipsæ sine aliquo Dei propter se amore haberi possint; Fides enim, uti habet idem Thomas, quæ est donum gratiæ inclinât hominem ad credendum secundum aliquem affectum boni etiamsi sit informis. Hic affectus naturalis non est,



sed supernaturalis ; ac per hoc ad charitatem pertinet , quã nempè homo divinæ auctoritati & veritati piè & reverenter afficitur , eamque dignam æstimat , cui intellectum submittat , ipsumque in fidei obsequium captivet

Hæc autem charitas sic generatim accepta subinde sic exigua est , ut non solum hominem non justificet , sed ut nec omnem mortiferi peccati affectum excludat : Inerat quippe Augustino cum  
*L. 8. conf. cap. 5.* dicit : *Voluntas autem nova quæ mihi esse cœperat ut te gratis colerem fruique te vellem , Deus sola certa jucunditas , nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Inest juxta Anselmum iis , qui tametsi nondum converti sint , tamen converti desiderant , & dicunt : *Converte nos Deus salutaris noster.* Inest juxta S. Fulgentium omnibus qui charitatem appetunt : Charitas ,  
*Epist. 5. ad Eugypium vide Scoti Lib. 1. d. 3. q. 3. in fin.* inquit , *tunc diligitur cum habetur , nec diligitur nisi habeatur.* Equidem potest diligi à nobis , etiam cum petimus ut augeatur in nobis , sed non diligit ejus augmentum , qui non habet initium. Hujusmodi ergò charitas , hoc est Dei propter se dilectio necessaria est ut bonum opus uti oportet etiam incipiamus. Hinc illa est II. Arausicanæ Synodi confessio : *Hoc etiam , inquit , salubriter profite-*  
*mur*



mur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamus; sed ipse nobis, nullis precedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & Baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post Baptismum, cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus: Sine hoc proinde amore haberi non potest bonus voluntatis motus, de quo ait Tridentinum Concilium: Quòd falsò quidem calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit aut sensit.

## §. VII.

*Quid agendum in praxi, dum disputatio de Attritione solo metu adhuc est indecisa?*

**H**Æc nunc ex abundanti dixisse sufficiat; ampliùs his immorari postulat materiæ magnitudo, sed ad sequentia festino: quia verò de sufficientia supra memoratæ Attritionis adhuc Doctorum fervet contentio, quid hac lite pendente sit unicuique agendum exposuit jam olim Illustrissimus ac Reverendissimus hujus Mechliniensis Sedis Archie-